



**G**eorgius ex illustri familia Liechtenbergio-  
 Grum natus, & in omni genere uirtutū hone-  
 stè educatus est. Is cum adoleuisset, armorum exer-  
 citia respexit, atque bellorum gloria sibi magnum  
 nomen comparauit. Id cum Albertus Marchio  
 Brandenburgicus cognouisset, eum inter intimos  
 cōsiliarios elegit, atq; eo tempore, cum 1546 in bel-  
 lo Smalkaldico pro Cæsare Carolo arma indue-  
 ret, suum legatum constituit. Eam functionem  
 Georgius magno animo expediuit, & Imperato-  
 ri gratissimus extitit. Par i ratione quoq; anno 1552  
 Georgius Albertilegatus extitit, atq; in omnibus  
 bellicis expeditionibus inter primos milites mul-  
 toties pugnauit, nihilq; intermisit, quod uel prudentem ducem aut strenuum  
 militem deceret. Vnde etiam prælio Gallico, cum Aumalius caperetur, inter-  
 fuit, atq; circa Metim se cum Alberto Cæsari coniunxit. Quin etiam sequenti  
 tempore Georgius Alberto suam operam strenuè nauauit, atq; cunctis militi-  
 bus ob plurimas uirtutes gratissimus fuit, ut meritò hoc loco præclaris Ger-  
 maniæ Heroibus connumeretur. Ioan. Sleid.